Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De legibus disputatio - Cod. Ettenheim-Münster 336

[S.l.], [17. Jahrh.]

§ 1

urn:nbn:de:bsz:31-131792

Visual Library

§. 1.

De Amore Filiorum ad parentes.

Conclo 1. Filij tenentur positive amare parentes amore tam interno quam externo ipsis benevelle et benefacere et in omnibus necessitatibus sive corporalibus sive spiritualibus quantum in ipsis est subveniendo, alimenta praebendo, in infirmitate et occurrentibus casibus per se vel per alium assistendo, opitulando, a carceribus liberando, curando denique ne absque digna Sacramentorum susceptione ex hac vita decedant, ne post mortem subsidiis et suffragiis Ecclesiasticis destituantur, ne pia opera eorum testamentis praescripta differantur, quae omnia ex ipsa rei natura et Sacris literis ita clara sunt ut alia probatione aut citatione opus non sit. Hinc filij ut parentes iuvare possint tenentur manere in saeculo si illis certum sant valde probabile periculum salutis immineret. Ast si Religionem sit ingressus, tenetur egredi et iuvare parentes, modo eorum necessitas Professionem antecesserit, si autem necessitas post Professionem evenerit et ea sit extrema tenetur egredi petita prius licet non obtenta venia: verum si gravis sit tantum, in qua utcunque possint vivere, non tenetur egredi, sed neque egredi, si superior permittat. Tenetur autem semper servare habitum

Ita etsi Petrus daret mihi potestatem in vita sua non
tueret tamen mihi illum occidere; quia non est illius hanc
potestatem dare. Ita etsi in extremo mortis peri-
culo versans mihi remitteret obligationem eorum charitatis
in proximum, tenerer tamen non obstante ista re-
missione sub peccato mortali illum eripere; quia me
ab obligatione ista non potest eximere, quantumvis
videatur juri suo velle cedere.

Ob. 3. Sacra scriptura varijs in locis ob
Dei amorem parentum odium et omnem derelictionem
praecipit ergo filij non tenentur nec possunt religi-
onem deserere. R. neg. consequentiam. Omnia scrip-
turae loca regulanda sunt hac sententia Matth. 10.
v. 37. Qui amat Patrem et Matrem plus quam me non est me dignus.
hoc sensu Deus in amore nostro praeferendus est omnibus nobis con-
iunctissimis in [illegible] peccati et eorum salutis
quod in succurrendo parentibus in necessitate extremis
locum non habet. nam qui his succurrit Deum amat
et mandatis ejus obtemperat.

Conclusio 2. Quicunque odio malevolentia, l.
gravi indignatione a filijs in parentes aut
aliquo opere externo ostendit peccat mortaliter.
Probatur ex varijs scripturae locis ut Exod. 21.
versu 17. Deut. 27. v. 16. Prov. 20. v. 20.
et 19. v. 26. et 23. v. 22. et 30. v. 17. Eccli.
Unde omnes illi mortaliter delinquunt, qui in pa-
rentes l. odium et pravo affectu feruntur, eis mortem

offstant l. de eorum malo gaudent l. maledictionibus, contumeliis aut verbis iniuriosis afficiunt q in suas domos eos recipere nolunt, nisi forte alibi ipsis provideant qui eos contemnunt subsannant irrident despiciunt, alloquio duro torvo aspectu aut alio quovis modo affligunt et contristant.

§. 2.

De Obedientia filiorum ad Parentes.

Conclusio 1. Tenentur filii parentibus obedire in omnibus iustis, licitis et honestis ad curam paternam parentibus. Probatur ex variis locis S. Script. maxime ad Ephes. 6. v. 1. Filii obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est etc. Sunt autem potissimum tria ad curam paternam pertinentia in quibus filii tenentur obedire

1. In iis quae sunt de necessitate salutis et observantia mandatorum Dei, ut scil. pietatis rudimenta addiscant, certo tempore, Missas audiant etc.

2. In materia morum et honestatis ut, si parentes prohibeant aliquam conversationem inhonestam ingressum alicuius domus periculosae etc.

3. In iis quae pertinent ad familiae administrationem et disciplinam domesticam. ut scil. certo tempore domum redeant, ut non vagentur, ut in domes-